

Consilium ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia
=====

Coetus a studiis XX: De libro I Pontificalis

Schemata N. 172

De Pontificali 5

De Consecratione Episcopali
=====

n. 1: In tribus gressibus problemata quae ad instaurationem
Consecrationis Episcopalis pertinent Patribus proponimus.

In parte prima huius schematis de fundamentis
instaurationis agimus, in parte secunda de statu
quaestionis referendum est, in parte tertia quaesita
Patrum iudicio proponimus.

I) De fundamentis instaurationis Consecrationis Episcopalis
=====

n. 2: In praeparatione huius schematis respectum habuimus
1) ad Constitutionem de Sacra Liturgia una cum
Declarationibus Commissionis praeconciliaris,
2) ad ritum Consecrationis Episcopalis nunc vigentem,
3) ad documenta postconciliaria in quibus de Consecratione
Episcopali actum est.

1) De normis quae in Constitutione de Sacra Liturgia
inveniuntur

n. 3: Haec autem sunt, quae Constitutio de Sacra Liturgia decrevit:
Art. 25: Libri liturgici quam primum recognoscantur.

Quoad Pontificale Romanum:

Art. 76: Ritus Ordinationum, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio ciusque Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula. In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus.

- n. 4: Quia in istis articulis Constitutionis de Sacra Liturgia de instauratione Consecrationis Episcopalis haud multa dicuntur, coetus a studiis noster pro suo labore maximi momenti esse censuit normas gener-ales instaurationis Sacrae Liturgiae, inter quas sequentes speciali modo enumerandae sunt:

Art. 23,1: Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressionis aperiatur, de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quoddammodo crescant.

Art. 30: Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsiones, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur. Sacrum quoque silentium suo tempore servetur.

Art. 31: In libris liturgicis recognoscendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

Art. 34: Ritus nobili simplicitate fulgeant, sint brevitatem perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accomodati, neque generatim multis indigeant explanationibus.

n. 5: Etiam Declarationibus Commissionis praeconciliaris ad art. nunc 76 momentum speciale attribuendum erat:

- a) Desideratur reductio plurium caeremoniarum, una cum suis formulis, praesertim in ordinatione sacerdotali et in consecratione episcopali.
- b) Recognoscatur tota traditio instrumentorum et indumentorum.
- c) Allocutiones Episcopi ad Ordinandos revisioni subiciantur, ita ut conceptus qui in ipsis continentur magis respondeant officiis et obligationibus nostra aetate in iure praevisis.
- d) Item, nonnullae formulae passim in ritibus occurrentes, quae disciplinam aut rerum conditionem obsoletam sapient, novis rerum adiunctis accommodentur.
- e) Usus linguae fidelibus notae in allocutionibus Episcopi ad Ordinandos necessarius videtur ad fidelium instructionem, ut ita magis directe adducantur ad intelligendam naturam et effectus singulorum Ordinum.

2) De Ritu Consecrationis Episcopalis nunc vigente

Ritus consecrationis episcopalis nunc vicens, secundum Pontificale Romanum, in tres partes divisus est:

n. 6: Pars prima:

(ante Confessionem)

- 1) Praesentatio et postulatio Electi (a duobus Episcopis assistentibus);
- 2) Lectio Mandati Apostolici;
- 3) Iuramentum Electi;
- 4) Examen Electi.

n. 7: Pars secunda:

(ante versum Alleluia sive ultimum versum Tractus vel Sequentiae)

- 1) Brevis allocutio: 'Episcopum oportet...';
- 2) Invitatorium: 'Oremus, fratres charissimi...';
- 3) Litaniae;
- 4) Impositio libri Evangeliorum (usque ad traditionem annuli inclusive);
- 5) Impositio manuum;
- 6) Cratio: 'Propitiare, Domine...';
- 7) Praefatio consecrationis: 'Vere dignum... Deus, honor omnium dignitatum... unguenti rore sanctifica' (pars prima);
- 8) Unctio capitis cum Hymno 'Veni, Creator Spiritus';
- 9) Praefatio consecrationis: 'Hoc, Domine, copiose... possit esse devotus' (pars secunda);
- 10) Unctio manuum cum Antiphona: 'Unguentum in capite...' et Ps 132;
- 11) Benedictio et traditio baculi Pastoralis;
- 12) Benedictio et traditio annuli;
- 13) Traditio libri Evangeliorum;
- 14) Osculum pacis.

n. 8: Pars tertia:

(post benedictionem finalem missae)

- 1) Benedictio et traditio mitrae;
- 2) Benedictio et traditio chirothecarum;
- 3) Inthronizatio;
- 4) Hymnus 'Te Deum...' (interim Consecratus ducitur... per Ecclesiam et omnibus benedicit);
- 5) Antiphona: 'Firmetur manus tua...' et Oratio: 'Deus, omnium fidelium pastor...';
- 6) Benedictio Consecrati;
- 7) Polychronia ('Ad multos annos').

3) De documentis postconciliariis

Documenta post promulgationem Constitutionis de Sacra Liturgia edita de consecratione episcopali haec statuerunt:

n. 9: a) Instructio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia recte ordinandam:

Art. 69: Manuum impositionem, in Consecratione Episcopali, omnes Episcopi praesentes, habitu choralis induti, facere possunt. Verba autem 'Accipe Spiritum Sanctum' a Pontifice Consecratore et duobus Episcopis Conconsecrantibus tantum dicantur.

n.10: b) Ritus servandus in concelebratione missae:

Caput: De concelebratione missae in qua Consecratio Episcopalis confertur:

...

123. Electus inter alios concelebrantes, sive in accessu ad altare sive in presbyterio, stat: nulla proinde ei paranda est cappella particularis. Item omnes sacras vestes albi coloris, quae pro Missa pontificali requiruntur, iis exceptis quae in ipsa Consecratione benedicendae et ipsi tradendae sunt, in initio sumit.

124. Episcopi quoque consecrantes, si concelebrant, sacras vestes quae pro concelebratione requiruntur in initio induunt.

125. Iuramentum, si tunc praestandum est, tempore magis opportuno aut etiam in sacristia, immediate ante ipsam Consecrationem, fieri potest. Hoc in casu tamen postulatio primi Episcopi consecrantis et lectio mandati Apostolici fiunt initio Consecrationis, ante examen Electi.

126. In ipsa Consecratione conferenda, omnia servantur quae in Pontificali Romano habentur. Manuum tamen impositio fieri potest ab omnibus Episcopis praesentibus, habitu choralis indutis; inter eos tamen praecedunt Episcopi qui in Missa sunt concelebraturi. Verba autem 'Accipe Spiritum Sanctum' a Pontifice consecratore et a duobus Episcopis consecrantes tantum dicuntur.

...

128. Dum cantatur vel legitur antiphona ad offertorium cum suo psalmo, Pontifex consecrator sedet cum mitra in throno vel in faldistorio et oblationem Consecrati recipit, deinde manus lavat, surgit et de more procedit ad altare.

...

...

131. Postcommunionem dicta, Consecrator benedicit et imponit Consecrato mitram et chirothecas, et ipsum Consecratum inthronizat, qui, dum cantatur hymnus 'Te Deum', omnibus benedicit per ecclesiam transeundo, prout habetur in Pontificali.

132. Finito hymno, dicitur antiphona 'Firmetur' cum suis versiculis et oratione; qua expleta, Consecrator dicit 'Dominus vobiscum' et subiungitur 'Ite, missa est'. Tunc Consecratus cum mitra et baculo accedit ad Consecratorem, et cantat vel dicit: 'Ad multos annos'. Consecrator autem et Episcopi conconsecrates recipiunt eum ad osculum pacis. Demum solus Consecratus benedictionem sollemnem impertit, et omnes processionaliter revertuntur in secretarium.

II) De statu quaestionis

n. 11: Quia Constitutio de Sacra Liturgia in art. 21 accuratam investigationem theologicam, historicam, pastoraalem de singulis Liturgiae partibus recognoscendis postulat, nobis visum est summarium breve investigationum - quasi statum quaestionis - quaesitis Patribus Consilii proponendis praemittere.

Agimus

- 1) de ritu sacramentali
- 2) de ritibus explicativis,
- 3) de ritibus preparatoriis,
- 4) de connexu rituum cum missa, in qua fit
Consecratio Episcopalis.

1) De ritu sacramentali

n. 12: Constitutio Apostolica Pii P. XII. 'Sacramentum Ordinis' (30.XI.1947) de materia et forma sacramenti in consecratione episcopali docuit:

'... in Ordinatione seu Consecratione Episcopali materia est manuum impositio quae ab Episcopo consecratore fit. Forma autem constat verbis "Praefationis", quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita: "Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum coelestis unguenti rore sanctifica". 1)

A: De manuum impositione

n. 13: a) De positione impositionis manuum
In ritu nunc vigente impositio manuum antecedit orationem 'Propitiare, Domine,', quae oratio

1) AAS 40 (1948) 7

olim erat litaniarum conclusio; manuum impositio hunc locum obtinuit per falsam rubricae transcriptionem, in qua de manuum impositione, inter invitatorium 'Oremus, fratres charissimi,' nempe et orationem 'Propitiare, Domine, ...', uti patet ex Pontificali Romano-Germanico (saec. X. med.) ubi in aliquibus manuscriptis etiam oratio votiva missae pro Consecrando 'Adesto, Domine, ...' et dictum invitatorium ad litanias rubricam de impositione manuum sequuntur ²⁾).

Oratio 'Propitiare, Domine, ...' nullo modo ad ritum sacramentalem pertinet.

Optandum est, ut impositio manuum, i.e. materia sacramenti, immediate praefationem consecrationis, formam nempe sacramenti, antecedit.

n. 14: b) De verbis 'Accipe Spiritum sanctum'

quae ad manuum impositionem dicuntur investigatio historica docet, hanc formulam per Pontificale Guilelmi Lurandi (saec. XIII ex.) in Consecrationem Episcopalem introductam esse ³⁾).

Quia haec verba secundum Constitutionem Apostolicam 'Sacramentum Ordinis' ad ritum sacramentalem non pertinent, immo in errorem ducunt, ac si istis verbis Episcopus consecraretur, omittantur.

B: De praefatione consecrationis

n. 15: a) De duobus partibus praefationis

In ritu nunc vigente praefatio consecrationis in duas partes scissa est; unctio capitis, (una cum Hymno 'Veni, Creator Spiritus') praefationem in-

²⁾ cf. C. Vogel - R. Elze, Le Pontifical romano-germanique du deuxième siècle. Città del Vaticano 1963: I, 216 s.

³⁾ cf. M. Andrieu, Le pontifical romain au moyen-âge III: Città del Vaticano 1940, p. 382; cf. V. Leroquais, Les pontificaux manuscrits ... Paris 1937, I, p. LXXXVII.

terrumpit. Unctio capitis (saec. VII in liturgia Hibernensis primo testata ⁴⁾) in praefationem introducta est in ritu gallo-franco saec. IX. med. ⁵⁾. Hoc evenit ex una parte, quia textus praefationis: '... coelestis unguente rore (olim fluore ⁶⁾) sanctifica' allusionem ad hunc ritum praebere videbatur, ex altera parte quia theologis illius aetatis unctio capitis maioris momenti esse videbatur quam impositio manuum.

Constitutio Apostolica 'Sacramentum Ordinis' certitudinem de ritu sacramentali nobis praebuit; ex quo sequitur unctionem capitis ritum explicativum (etsi magni momenti) esse. Convenit ergo ut post impositionem manuum tota praefatio consecrationis proferatur et tum unctio capitis sequatur.

n. 16: b) De modo proferendi verba praefationis
'Comple... sanctifica'

Ex decreto SCRit (20.II.1950) ⁷⁾ verba essentialia et ad valorem requisita, formula nempe: 'Comple ... sanctifica' dicuntur sine cantu. Haec solutio minus apta videtur, quia stylo liturgiae contradicit. Si nempe verba maximi momenti ex aliis extollenda sunt, liturgia via contraria procedit: e.gr. in ritu servando in concelebratione missae (7.III.1965) perhibentur 'Cantus pro concelebratione' pro parte centrali Canonis, ita ut 'eadem pars possit etiam cantu proferri'. 'Cantus' etiam 'unice ad formulas

4) cf. R. Kottje, Studien zum Einfluß des Alten Testaments auf Recht und Liturgie des frühen Mittelalters. Bonn 1964. 99s.

5) cf. M. Andrieu, Le sacre épiscopal d'après Hincmar de Reims: RHE 48 (1953) p. 40-54.

6) cf. L.C. Mohlberg, Sacramentarium Veronense... Roma 1956 p. 119 (fluore); H. Lietzmann, Das Sacramentarium Gregorianum ... Münster/W. 1921, p. 6 (flore).

7) AAS 42 (1950) 448 ss.

"Qui pridie", "Simili modo" et "Haec quotiescumque feceritis", immo ad sola verba consecrationis limitari potest 8).

Ex hoc exemplo elucet modum proferendi verba essentialia formae sacramentalis sine cantu minus aptum esse. Optandum est, ut tota forma sacramentalis, tota praefatio nempe consecrationis, in cantu proferatur.

n. 17: c) De textu praefationis consecrationis

Quoad textum praefationis consecratoriae haec dicenda esse videntur: Sacramenta secundum notum illud adagium id efficiunt, quod significant. 'Ut signa ... etiam ad instructionem pertinent. Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus etiam alunt, roborant, exprimunt; quare fidei sacramenta dicuntur 9).

Ideo etiam, immo praesertim praefatio consecrationis de gratia et munere episcopali puncta essentialia exprimere deberet.

Secundum Constitutionem 'Lumen gentium' episcopi sunt successores Apostolorum: Episcopi igitur communitatis ministerium ... susceperunt, loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri... Proinde docet Sacra Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse tamquam Ecclesiae pastores... 10).

'Pastores ad pascendum dominicum gregem electi, ministri Christi sunt et dispensatores mysteriorum Dei, quibus concredita est testificatio Evangelii gratiae Dei atque ministratio Spiritus iustitiae in gloria.' 11)

8) Ritus servandus in concelebratione missae. Editio typica. Typis Polyglottis Vaticanis 1965, p. 81.

9) Const. d. S. Liturgia, art. 59

10) Art. 20

11) Ibid., art. 21

'Episcopalis... consecratio, cum munere sanctificandi, munere quoque confert docendi et regendi... Ex traditione enim, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferre et sacrum characterem ita imprimi ut Episcopi... ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in eius persona agant' 12).

Iamvero fatendum est, in praefatione consecratoria liturgiae romanae de hac theologia muneris episcopalis, a Concilio in art. cit. adumbrata et in sequentibus articulis evoluta, valde pauca inveniri.

Pars prior, scilicet anamnetica praefationis, quae 'verba essentialia' continet, loquitur tantum de summo sacerdotio, et quidem modo sat onusto et intricato, exemplum typicum inveniens in vestibus sacerdotalibus et in unctione Aaronis.

Pars altera praefationis, in qua dona pro Consecrando a Deo impetrantur, praeter aliqua, quae omni fideli optabilia sunt, et alia, quae hodie male sonant ('Qui maledixerit ei, sit ille maledictus') vel aliquomodo obscure intelliguntur ('ministerium reconciliationis... in virtute signorum et prodigiorum') loquitur etiam de muneribus sacerdotalibus, de ministerio nempe reconciliationis et de potestate clavium in remissionem peccatorum; insuper habentur allusiones de muneribus praedicandi, regendi et pascendi.

Nullibi vero sermo occurrit e.gr. de successione Apostolorum et quod Episcopi sunt ministri Christi, cuius partes sustinent.

12) Ibid.

Cum autem praefatio, quae conflata este duobus orationibus consecratoriis, romana nempe et gallica ¹³⁾, iam valde longa sit, non expedit, ut adhuc amplificetur.

Quae cum ita sint, examini subici debere videtur quaestio, utrum substitui possit alius textus, qui exprimat melius theologiam munerum episcopalium. Qui textus aut de novo exarandus esset aut sumendus e fontibus antiquis, utique forsitan hic vel illuc leviter mutandis.

Imprimis sese offert oratio consecratoria Traditionis Apostolicae S. Hippolyti Romani saec III. ineunte scripta ¹⁴⁾. Illa oratio cum sua introductione in articulis citatis Constitutionis de Ecclesia bis citatur ¹⁵⁾. Quod maius est: usque hodie in ordinatione episcopi Coptorum ¹⁶⁾ et in forma evoluta qualem induit in Testamento Domini ¹⁷⁾, in liturgia ordinationis Syrorum occidentaliū in honore habetur.

13) cf. A.-G. Martimort, *L'église en prière*. Paris 1961 p. 496, 506; textus romanus cf. H. Lietzmann, *l.c.*, p. 50

14) B. Botte, *La tradition apostolique de Saint Hippolyte*. Münster/W. 1963, p. 6-10; cf. appendicem huius schematis.

15) Art. 21

16) H. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, Wirceburgi 1864, p. 23-24; 33-34; 48-49.

17) *Ibid.*, p. 220-221. Haec formula communis est Syris Antiochenis et Maronitis.

C: De functione Episcoporum consecrationem concelebrantium

n. 18: Etsi 'ad consecrationis validitatem unum solum sufficere Episcopum... extra dubium est,... a priscis tamen Ecclesiae temporibus plures Episcopi huiusmodi Consecrationi adstiterunt'¹⁸⁾. Hic usus omnino retinendus est. Sed quaestiones oriuntur.

Ritus nunc vigens distinguit quoad episcopos consecrationem episcopalem concelebrantes inter Consecratorem principalem et omnes alios episcopos adstantes ex una parte, ex altera parte etiam inter episcopos 'conconsecrantes' et episcopos qui tantum manus imponunt. Quid faciunt episcopi qui tantum manus imponunt?

Constitutio de Sacra Liturgia hunc ritum inducens ¹⁹⁾ vere non intendit discriminationem, sed in genere signi ostendit veritatem, de qua Constitutio 'Lumen gentium': 'Episcoporum est per sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere'²⁰⁾.

Instauratio consecrationis episcopalis in via a Constitutione de Sacra Liturgia inchoata progredi debet, ne qua discriminatio oriatur. Restauratio antiqui ritus, impositionis nempe manuum ab omnibus episcopis adstantibus adhibendae, tantum gressus primus est.

Nemini non patet, post Constitutionem Apostolicam 'Sacramentum Ordinis', in qua de ritu sacramentali definitive actum est, hunc usum quod nempe episcopi consecrantes omnes formulas usque ad traditionem libri Evangeliorum inclusive una cum Consecratore principali dicere debent, inutilem esse. Consequenter nemo optat, ut omnes episcopi, qui manum imposuerunt, omnes istas formulas dicant. Qua de causa - secundum opinionem nostram - Instructio ad executionem Constitutionis de Sacra

18) Const. Apost. 'Episcoporum Consecrationis': AAS 37 (1945) 131.

19) Art. 76

20) Art. 21

Liturgia recte ordinandam²¹⁾ solummodo manuum impositionem ab omnibus episcopis postulat, non autem formulam 'Accipe Spiritum Sanctum'.

Investigatio historica docet, usque ad saec. XII ex. solum Consecratorem principalem verba formae, praefationem nempe consecrationis, protulisse, ceteris episcopis manus imponentibus, sed orationi consecratoris principalis tacite consentientibus²²⁾.

Etiam in ritibus orientalibus hic modus usque nunc retinetur²³⁾. Videtur ad traditionem antiquam Romanam et universalem revertendum esse.

2) De ritibus explicativis

- n. 19: Gratiam in ritu sacramentali acceptam et munus susceptum ritus qui ritum sacramentalem sequuntur exprimere deberent. Investigandum est quomodo secundum Constitutionem de Sacra Liturgia et Declarationem commissionis praeconciliaris instauratio istorum rituum peragi potest eo fine, ut clarius exprimant gratiam et obligationes consecrationis.

21) Art. 69

22) Cf. Pontificale romano-germanicum, ed. C. Vogel-R. Elze, l. c. I, 216 ss; Pontificale Romanum XII saec.: ed. M. Andrieu, Le Pontifical Romain... I, 147 ss (in versione secunda (saec. XII ex.) episcopi assistentes etiam orationem 'Propitiare' et praefationem consecrationis dicunt 'voce suppressa').

23) Sic in Ritu Byzantino, cf. J. Goar, Euchologion, sive Rituale Graecorum. Venetiis 1730, p. 244. Pro ceteris ritibus cf. H. Denzinger, Ritus Orientalium, t. II, p. 22. 85. 242. 271.

Agimus:

- A) de capitis unctione;
- B) de manuum unctione;
- C) de insignium traditione;
- D) de libri Evangeliorum impositione et traditione;
- E) de inthronizatione.

A: De capitis unctione

n. 20: Supra (n. 15) iam dictum est optandum esse, ut capitis unctio non intra sed immediate post praefationem consecrationis peragatur.

Ritus unctionis capitis gratiam in consecratione episcopali acceptam optime exprimit, etsi formula nimis communiter de hac accepta gratia loquitur ('Ungatur et consecretur caput tuum coelesti benedictione, in Ordine Pontificali. In nomine Patris...'). Formula ritus clarius significare deberet donum gratiae in consecratione acceptum. Videtur talem formulam inveniri posse in ritu unctionis manuum (de qua infra agendum erit), in verbis nempe:

'Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus^{23a)} sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate et mysticae delibutionis liquore perfundat, et spiritualis benedictionis ubertate foecundet'.

Quae formula, in Pontificali Romano-germanico primo testata²⁴⁾,

23 a) vel melius: Episcopi.

24) Ed. C. Vogel - R. Elze I, 220.

ad unctionem nempe pollicis, forsitan pro unctione capitis exarata est, etsi nullum manuscriptum notum est, quod certitudinem dat de hoc usu²⁵⁾. Textus tamen optime interpretari potest de capitis unctione.

Insuper optandum est, ut unctio capitis peragatur liniendo chrismate solummodo summitatem capitis (vel. si casus fert, frontem) in forma crucis. Ligatio capitis cum mappula ritus inutilis est et omittatur.

n. 21: B) De manuum unctione

Unctio manuum e ritu Ordinationis presbyteri in ritum Consecrationis episcopalis introducta est; secundum testes traditionis Romanae unctio manuum in consecratione episcopali non erat iteranda, sed non nisi peragenda erat, si consecrandus e Diaconatu ad Episcopatum promovendus erat²⁶⁾. Unctio ergo manuum in consecratione episcopali est duplicatio. Secundum ergo principium: '...omittantur quae temporum decursu duplicata fuerunt...' ²⁷⁾, omittenda est. Unctio manuum in Ordinatione presbyteri tamen peragi debet chrismate secundum usum antiquiorem²⁸⁾; quod et veritas ritus postulat, quia oleum catechumenorum est oleum baptismatis.

Si manuum unctio in consecratione episcopali omittitur, Antiphona 'Unguentum in capite...' cum suo psalmo ad unctionem capitis cani posset - saltem si plures consecrandi sunt - loco Hymni 'Veni, Creator, Spiritus', qui usque nunc post ritum sacramentalem, per quem confertur gratia Spiritus Sancti, canitur, itaque locum minus aptum tenet.

25) Cf. M.Andrieu, Les Ordines Romani du haut moyen-âge. Louvain 1931 ss: IV, 88, n. 4.

26) Cf. OR XXXV, 69: Hac (sc. praefatione consecrationis) expleta consecrat ei manus si nondum habuit consecratas, ordine quo supra prefiximus (M.Andrieu, Les Ordines Romani...IV, 45; cf.p.19 s.)

27) Const. d. S. Liturgia, art. 50

28) Cf. B. Kleinheyer, Die Priesterweihe im römischen Ritus. Trier 1962, 122.

C) De insignium traditione

n. 22: a) De benedictionibus insignium

in rubricis Pontificalis Romani iam dicitur, ut solummodo adhibendae sint, si insignia non sint benedicta. Optandum est, ut ad abbreviandum ritum omnes istae benedictiones tempore opportuno, ante ipsam actionem sacram, peragantur.

b) De insignium traditione in genere

n. 23: Traditio baculi Pastoralis et traditio annuli maioris momenti sunt ad explicandum munus episcopale in consecratione acceptum. 'Episcopi' enim 'communitatis ministerium susceperunt... loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri'²⁹⁾, missi 'a Patre-familias ad gubernandam familiam suam'³⁰⁾.

Iam in fontibus saec. V. de baculo Pastoralis tractatum est³¹⁾; Isidor Hispalensis (+ 636) loquitur de traditione baculi et annuli in consecratione episcopali³²⁾.

Ex adverso de traditione mitrae et chirothecarum nihil invenitur in libris liturgicis ante Pontificalem Guilelmi Durandi (saec. XIII ex.)³³⁾.

29) Const. 'Lumen gentium', art. 20.

30) Ibid., art. 27.

31) Cf. M. Andrieu, Les Ordines Romani... IV, 89 n. 1.

32) De ecclesiasticis officiis II, 5 n. 12: Migne, Patr. lat. 83, 783-784.

33) Cf. Pontificale Romanae Curiae: M. Andrieu, Le Pontifical Romain... II, 368 (consecratus mitram et chirothecas sumit in fine missae sine ulla caeremonia).

n. 24: c) De traditionibus mitrae et chirothecarum

optandum est, ut omittantur, quia 'rerum conditionem obsoletam sapiunt'³⁴⁾, quod elucet e formulis rituum: 'Imponimus, Domine, capiti huius Antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie, et armato capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis; etc.' (ad impositionem mitrae); 'Circumda, Domine, manus huius ministri tui munditia novi hominis, qui de coelo descendit, ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hoedorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo, potuque gratissimo, impetravit... etc.' (ad traditionem chirothecarum).

n. 25: d) De baculi Pastoralis traditione

investigandum esset, an formula in Pontificali romano-germanico testificata³⁵⁾:

'Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis aeternae, habeasque potestatem eligendi dignos et corrigendi indignos, cooperante domino nostro Jesu Christo'

munus pastorale episcopi melius exprimeret quam formula (similis aetatis³⁶⁾) nunc vicens.

D: De libri Evangeliorum impositione et traditione

a) De libri Evangeliorum impositione

- n. 26: Impositio libri Evangeliorum praeclarus est ritus et ergo retinendus. Sed nulla causa invenitur, cur impositio usque ad traditionem annuli inclusive extenditur.

34) Declarationes commissionis praeconciliaris ad art. nunc 76, ad d.

35) Cf. ed. C. Vogel-R. Elze I, 222.

36) Ibid.

Investigatio historica docet ex antiquissimis temporibus impositionem libri Evangeliorum exstitisse³⁷⁾, sed solummodo durante impositione manuum (et praefatione consecrationis). Etiam secundum libros liturgicos recentiores (e. gr. Pontificale Guilelmi Durandi: saec. XIII ex.)³⁸⁾ impositio libri Evangeliorum fit solummodo durante manuum impositione et praefatione consecrationis. Optandum est, ut hic modus restituatur. Ita finis huius ritus, explicatio nempe oneris in consecratione suscepti, melius exprimitur.

n. 27: b) De libri Evangeliorum traditione

videtur hunc ritum esse retinendum, quia munus episcopale optime exprimitur. In rubricis autem non dicatur 'Consecratus tangat librum', sed 'Consecratus (duobus manibus) accipiat librum'.

n. 28: Traditio libri Evangeliorum immediate post unctionem capitis peragatur, sequentibus traditionibus annuli et baculi Pastoralis. Haec consecutio rituum immediate ad ultimum ritum explicativum, ad intronizationem nempe, tendit.

E: De inthronizatione

n. 29: Pontificale Romanum distinguit quoad ritum inthronizationis casum, in quo episcopus in propria ecclesia, et casum, in quo non in propria ecclesia consecratur.

Inthronizatio episcopi in ecclesia aliena consecrati cum veritate ritus cohaerere non videtur.

n. 30: Inthronizatio episcopi in ecclesia propria consecrati fiat immediate post traditionem libri Evangeliorum, annuli et baculi Pastoralis, quia et inthronizatio ritus est explicativus; cathedra enim episcopi signum est muneris praedicandi Evangelium, de quo munere Constitutio 'Lumen Gentium': 'Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii'³⁹⁾.

37) B. Botte, Le rituel d'ordination des Statuta Ecclesiae antiqua: RTAM 11 (1939) p. 231 - 233.

38) Ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain... III. 382 ss.

39) Art. 25.

- n. 31: Post inthronizationem, in fine totius ritus consecrationis Consecratus ad cathedram suam deductus accipiat a Consecratore et omnibus Episcopis adstantibus osculum pacis et det etiam presbyteris forte concelebrantibus.
- n. 32: Episcopus in ecclesia aliena consecratus in fine totius ritus consecrationis deducatur a Consecratore ad sedem Episcoporum concelebrantium et sedeat secundum antiquam traditionem Romanam hac die 'super omnes Episcopos'⁴⁰⁾. Etiam in hoc casu osculum pacis finis est totius ritus consecrationis.

3) De ritibus praeparatoriis

Agimus:

- A: De postulatione
B: De allocutione Consecratoris
C: De examine Electi
D: De oratione ritum sacramentalem praeparante

A: De postulatione

- n. 33: Postulatio quasi initium totius consecrationis omnino retinenda est.

Oritur quaestio utrum Consecrandus Consecratori praesentari debeat vel a duobus presbyteris vel a duobus episcopis.

Constitutio de Sacra Liturgia agens de instauratione Liturgiae inter alia hoc principium generale statuit:

40) OR XXXIV, 42 (ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani... III, 613).

In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agit, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet ⁴¹⁾.

In ritu consecrationis episcopalis nunc vigente duo episcopi, olim 'assistantes' ab a. 1950 'conconsecrantes' ⁴²⁾ nominati, in parte centrali consecrationis vere consecrationem concelebrantes sunt, durantibus ritibus praeparatoriis autem munere consecrando assistendi funguntur. A Consecratore principali postulant consecrationem Electi. Sic autem non solum a Consecratore principali, sed etiam - etsi non expressis verbis - ab omnibus episcopis partem in consecratione habentibus postulant consecrationem, i. e. etiam a semetipsis, quod veritati ritus contradicit.

Ut investigatio historica demonstrat, erat antiquus usus Romanus, ut delegati cleri et populi ecclesiae episcopum desiderantis a consecratore, in hoc casu a Pontifice Romano, consecrationem Electi postularent ⁴³⁾. Hic modus etiam in consecrationibus non a Romano Pontifice collatis servatus est, sicut testatur a plurimis libris liturgicis ⁴⁴⁾. Postulatio a duobus episcopis proferenda in Pontificali romano-germanico (saec. X. med.) primo testata ⁴⁵⁾ et a Pontificali Guilelmi Durandi in liturgiam romanam introducta est ⁴⁶⁾.

41) Art. 28.

42) Cf. Decr. SCRit (20. II. 1950): AAS 42 (1950) 448 ss.

43) Cf. OR XXXIV, 21 ss (ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani... III, 608 ss); OR XXXV B, 1 ss (ibid., IV, 100 ss).

44) Etiam in Pontificali romano-germanico, in quo modus alter primo invenitur, hic modus testificatur (cf. ed. C. Vogel - R. Elze I, 266 ss); vide etiam: Pontificale romanum XII saec. (ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain... I, 138), Pontificale Romanae Curiae (ibid. II, 351 s) Pontificale Guilelmi Durandi (ibid. III, 347 s).

45) Ed. C. Vogel - R. Elze I, 207.

46) Ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain... III, 378.

B: De allocutione Consecratoris

n. 34: In consecratione episcopali nil invenitur de allocutione Consecratoris praeter sententiam unicam: 'Episcopum oportet ...' (ex antiquo tractatu 'De officiis septem graduum' VII saec. ⁴⁷).

Constitutio de Sacra Liturgia autem decrevit: Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur ⁴⁸).

Optandum est, ut in rubricis praescribatur allocutio a Consecratore populo facienda de munere episcopali (secundum mentem sententiae dictae 'Episcopum oportet ...') immediate post lectionem Mandati Apostolici, ante examen Electi.

C: De examine Electi

n. 35: Examen Electi est magni momenti. In facie totius ecclesiae Electus voluntatem suam aperit munere suo functurum esse in spiritu ecclesiae. Examen ergo electi retinendum est.

n. 36: Locus aptior examinis esse videtur immediate post sermonem Consecratoris de munere episcopali.

n. 37: Textus examinis videtur abbreviandus esse et abbreviari posse. Insuper quaestiones secundae partis, quaestiones nempe de fide, simpliciores esse deberent, secundum principium 'non multa, sed multum'. In omnibus enim ritibus confessio fidei, si praebenda est, modo generaliori et simpliciori praebetur ⁴⁹).

47) Cf. B. Botte, Consummare: Archivum latinitatis medii aevi 12 (1938) 45

48) Art. 35, n. 2

49) Cf. collationem baptismi; renovationem promissionum baptismatis in vigilia paschali.

Textus quaestionum fidei initium duxit e sic dictis 'Statutis ecclesiae antiquis' incerti autoris (possibiliter Gennadii presbyteri Massiliensis + 496 ? ⁵⁰) et ad controversias huius temporis spectat ⁵¹). Textus examinis nunc vigens in libris liturgicis gallicis saec. IX primo testatus ⁵²) a Pontificali romano-germanico in liturgiam romanam introductus est ⁵³).

D: De oratione ritum sacramentalem praeparante

n. 38: Ut iam dictum est (n. 12) oratio praeparans ritum sacramentalem, impositionem nempe manuum et praefationem consecrationis, immediate praecedat.

Invitatorium 'Oremus, fratres charissimi ...' dicatur sine conclusione 'Per Christum ...', quia non est oratio.

Functio orationis 'Propitiare, Domine, supplicationibus nostris ...', quae erat olim conclusio Litaniarum ⁵⁴), restituatur.

Videtur ad abbreviandum totum ritum consecrationis episcopalis investigandum esse, quomodo litaniae breviores reddi possint, salvis semper intentionibus specialibus 'Ut hunc praesentem Electum ...', quia in istis intentionibus momentum speciale orationis praeparatorii exprimitur.

50) Cf. Ch. Munier, Les Statuta ecclesiae antiqua. Paris 1960, 209 ss.

51) Ibid. 107 ss.

52) Cf. E. Martène, De antiquis ecclesiae ritibus. Rouen 1700: lib. I, cp. VIII, art. XI, ordo V (II, 382-383).

53) Cf. ed. C. Vogel - R. Elze I, 207.

54) Cf. B. Kleinheyer, Die Priesterweihe ... p. 62 s (pro ordinatione presbyteri).

4) De connexu rituum cum missa, in qua fit consecratio episcopalis

- n. 39: a) Iam in 'Ritu servando in concelebratione missae' aliquomodo provisum est de connexu rituum consecrationis episcopalis cum missa (e. gr.: nulla proinde consecrando paranda est capella particularis) ⁵⁵⁾. Sed 'Ritus servandus in concelebratione missae' immediate spectat ad concelebrationem, non autem ad consecrationem episcopalem. Hic ergo etiam alia momenta tractanda sunt.
- n. 40: b) Videtur omnes et singulos ritus consecrationis episcopalis uno tractu peragendos esse. Omnes enim ritus consecrationis episcopalis elementa unicae actionis liturgicae sunt et inter se copulantur. Postulatio tendit ad Mandatum Apostolicum, Mandatum ad allocutionem, allocutio ad examen, examen ad orationem praeparantem, omnes autem ritus praeparatorii ad ritum sacramentalem. Ritus explicativi (inter quos etiam inthronizatio) ex altera parte respiciunt ad ritum sacramentalem; omnes ergo ritus explicativi immediate ritum sacramentalem prosecui deberent. Divisio rituum consecrationis episcopalis in tres partes (ante confessionem, ante ultimum versum tractus, post Postcommunem) decursu temporum exorta ⁵⁶⁾ revidenda esse videtur.

55) N. 122 ss.

56) In fontibus liturgiae romanae a saec. VIII (OR XXXIV: ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani ... III, 606 ss) usque ad saec. XIII (Pontificale Romanae Curiae: ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... II, 351) hic modus testificatus est: die praecedenti fit examen Electi, die dominica fit consecratio. In Pontificali romano-germanico (ed. C. Vogel - R. Elze I 207) et sequentibus libris liturgicis etiam die consecrationis ante confessionem fit examen (alter 'secundum Gallos'). Tertia pars consecrationis (post communionem) a Pontificali Guillelmi Durandi primo testatus est (ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... III 388 ss).

- n. 41: c) Locus aptior omnium rituum consecrationis episcopalis esse videtur non ante ultimum versum tractus ⁵⁷⁾ sed inter duas partes missae, inter liturgiam nempe verbi et eucharisticam, sicut fit pro Confirmatione ⁵⁸⁾ et Matrimonio ⁵⁹⁾, si intra missam celebrantur. Liturgia enim verbi adducit ad sacramentum; ad liturgiam autem eucharisticam quasi ad finem suum tendit consecratio episcopalis, per quam Consecratus instituitur 'oeconomus gratiae supremae sacerdotii, praesertim in Eucharistia ... qua continuo vivit et crescit Ecclesia' ⁶⁰⁾.
- n. 42: d) Ritus nunc vigens novit orationes rituales, collectam nempe et orationem super oblata et postcommunionem, proprias sub unica conclusione orationibus diei addendas. Sed in his formulis non explicite de consecratione episcopali agitur. Valde dolendum est liturgiam lectiones proprias de munere episcopali loquentes decursu temporum amississe ⁶¹⁾. Videtur optandum esse ut in missali romano inseratur missa propria 'In Consecratione Episcopi', sicut ~~fit~~ pro baptismo ⁶²⁾.
- n. 43: e) Supra iam dictum est (nn. 29 ss), inthronizationem et ultimum ritum explicativum et ultimum ritum totius actionis esse debere. Episcopus in ecclesia

57) Secundum 'Traditionem Apostolicam' S. Hippolyti Romani consecratio episcopalis fit immediate ante liturgiam eucharisticam (cf. B. Botte, La Tradition apostolique ... p. 10).

58) Constitutio de Sacra Liturgia, art. 71, n. 2; Litterae Apostolicae 'Sacram Liturgiam' (25.I. 1964) ad IV; Instructio ad executionem Constitutionem ... art. 64-66.

59) Constitutio de Sacra Liturgia, art. 78; Instructio ad executionem Constitutionis ... art. 70.

60) Constitutio 'Lumen gentium', art. 26.

61) OR XXXIV, n. 36: 'Deinde legitur apostolum ad Timotheum: Karissime, fidelis sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, et cetera' (ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani ... III 612).

62) Constitutio de Sacra Liturgia, art. 66.

propria consecratus per inthronizationem locum praesidentialem totius communitatis tenet. Et post inthronizationem teneat. Optandum est enim, ut traditio antiqua romana ⁶³⁾ quae etiam in Oriente viguit ⁶⁴⁾ restituatur, secundum quam in concelebratione consecrationem episcopalem sequente Episcopus in ecclesia propria consecratus sit celebrans principalis. Hic modus magis respondet menti Constitutionis de Sacra Liturgia ⁶⁵⁾ et etiam menti Constitutionis 'Lumen gentium' ⁶⁶⁾.

Episcopus vero non in ecclesia propria consecratus non sit in concelebratione celebrans principalis, sed, sicut iam dictum est (n. 32), primum locum teneat inter alios concelebrantes.

63) Cf. 'Traditionem Apostolicam' S. Hippolyti Romani (ed. B. Botte, La Tradition apostolique ... p. 11)

64) Cf. Constitutiones Apostolorum VIII 5, 9 :ed. F.X. Funk, p. 476.

65) Art. 41: 'Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quoddammodo derivatur et pendet. Quare omnes vitam liturgicam dioceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus'.

66) Art. 26.

III: Quaesita Patrum iudicio proponenda
=====

Artequam quaesita distincta de instauratione consecrationis episcopalis iudicio Patrum proponemus, conspectum generalem rituum consecrationis episcopalis (instaurationis) dare oportet.

1) Conspectus generalis consecrationis episcopalis
(instaurationis)

n. 44: Post liturgiam verbi

A: Ritus praeparatorii:

- a) Praesentatio Electi et postulatio;
- b) lectio Mandati Apostolici;
- c) allocutio Consecratoris;
- d) examen Electi;
- e) Oratio praeparatoria:
Invitatorium
Litaniae
Oratio litanias concludens.

B: Ritus sacramentalis:

Impositio manuum et praefatio consecrationis.

C: Ritus explicativi:

- a) Impositio libri Evangeliorum (durante impositione manuum et praefatione consecrationis);
- b) unctio capitis;
- c) traditio libri Evangeliorum;
- d) traditio annuli;
- e) traditio baculi Pastoralis;
- f) inthronizatio;
- g) osculum pacis.

Sequitur liturgia eucharistica.

2) Quaesita

- n. 45: Quaesitum I (cf. n. 13):
Placetne Patribus, ut impositio manuum fiat immediate ante praefationem consecrationis ?
- n. 46: Quaesitum II (cf. n. 14):
Placetne Patribus, ut formula 'Accipe Spiritum Sanctum' utpote duplicatio tollatur ?
- n. 47: Quaesitum III (cf. n. 15):
Placetne Patribus, ut unctio capitis non intra praefationem sed post illam peragatur ?
- n. 48: Quaesitum IV (cf. n. 16):
Placetne Patribus, ut etiam verba essentialia praefationis canantur ?
- n. 49: Quaesitum V (cf. n. 17):
Placetne Patribus, ut investigetur, quomodo praefatio consecrationis theologiam episcopatus secundum Constitutionem 'Lumen gentium' melius exprimat ?
- n. 50: Quaesitum VI (cf. n. 18):
Placetne Patribus, ut solus Consecrator principalis praefationem et omnes alias orationes et formulas proferat, ceteris Episcopis tacite consentientibus ?
- n. 51: Quaesitum VII (cf. n. 20):
Placetne Patribus, ut investigetur, quomodo formula unctionis capitis magis apta fiat ad exprimendum donum in Consecratione episcopali acceptum ?
- n. 52: Quaesitum VIII (cf. n. 21):
Placetne Patribus, ut unctio manuum cum iam in ordinatione Presbyteri peracta sit, in consecratione episcopi omittatur ?

- n. 53: Quaesitum IX (cf. n. 22):
Placetne Patribus, ut benedictiones (annuli et baculi Pastoralis) anticipentur quasi privatim, solis traditionibus insignium intra consecrationem remanentibus ?
- n. 54: Quaesitum X (cf. n. 24):
Placetne Patribus, ut traditiones mitrae et chirothecarum supprimantur ?
- n. 55: Quaesitum XI (cf. n. 25):
Placetne Patribus, ut investigetur, quomodo formula ad traditionem baculi Pastoralis magis apta fiat ad exprimendum munus in consecratione episcopali acceptum ?
- n. 56: Quaesitum XII (cf. n. 26):
Placetne Patribus, ut liber Evangeliorum solummodo durante impositione manuum et praefatione consecrationis Consecrando imponatur ?
- n. 57: Quaesitum XIII (cf. n. 28):
Placetne Patribus, ut liber Evangeliorum immediate post unctionem capitis tradatur ?
- n. 58: Quaesitum XIV (cf. n. 28):
Placetne Patribus, ut annulus et baculus Pastoralis post traditionem libri Evangeliorum tradantur ?
- n. 59: Quaesitum XV (cf. n. 29 ss):
Placetne Patribus, ut Episcopus in ecclesia propria consecratus immediate post traditiones annuli et baculi Pastoralis ad cathedram suam adducatur, ubi det omnibus episcopis et etiam presbyteris forte concelebrantibus osculum pacis ?

n. 60: Quaesitum XVI (cf. n. 33):

Placetne Patribus, ut investigetur, a quibus
Consecrandus Consecratori praesentari debeat vel
a duobus Presbyteris vel a duobus Episcopis ? ✓

n. 61: Quaesitum XVII (cf. n. 34):

Placetne Patribus, ut rubrica provideat in initio
ritus allocutionem Consecratoris principalis de munere
episcopali ?

n. 62: Quaesitum XVIII (cf. n. 37):

Placetne Patribus, ut investigetur, quomodo examen
Electi ex una parte aptius fiat conditionibus nostri
temporis et ex altera parte brevius fiat ? ✓

n. 63: Quaesitum XIX (cf. n. 38):

Placetne Patribus, ut investigetur, quomodo litaniae
breviores reddi possint ?

n. 64: Quaesitum XX (cf. n. 40 s):

Placetne Patribus, ut omnes ritus consecrationis uno
tractu inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam
peragantur ?

n. 65: Quaesitum XXI (cf. n. 42):

Placetne Patribus, ut unum formulare vel plura
formularia missae 'In Consecratione Episcopi' a
Coetu competente exarentur ?

n. 66: Quaesitum XXII (cf. n. 43):

Placetne Patribus, ut Episcopus in ecclesia propria
consecratus, in fine ritus consecrationis ad cathedram
suam adductus, liturgiae eucharisticae praesideat ? ✓